

P R O M P T A  
B I B L I O T H E C A  
C A N O N I C A , J U R I D I C O -  
M O R A L I S T H E O L O G I C A

P A R T I M

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA

De Principalioribus, & fere Omnibus, quæ in dies occurrunt, & nec omnia ab omnibus penes omnes facile, ac prompte reperiri possunt ex UTROQUE Jure, PONTIFICIIS Constitutionibus, Conciliis, SACRARUM CONGREGATIONUM Decretis, SACRÆ ROMANÆ ROTÆ Decisionibus, ac probatissimis, & selectissimis AUTHORIBUS accurate Collecta, Satis Audacta, in unum Redacta, & Ordine Alphabetico Congesta,

Æ IN OCTO TOMOS DISTRIBUTA

A B A D M. R. P. F.

L U C I O F E R R A R I S

Soler-Alexandrino, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ SANCTI PATRIS FRANCISCI, Lectore Jubilato, Exprovinciali, Examinatore Synodali, ac Sancti Officii Consultore.

O P U S

*Cunctis valde proficuum, & præsertim Ecclesiastico Orbi  
apprime utile, ac necessarium.*

T O M U S S E X T U S

COMPLECTENS LITTERAS

P. Q. R.



B O N O N I Æ , M D C C X L V I .

S E D P R O S T A N T

V E N E T I I S ,

APUD FRANCISCUM STORTI, ET JO: BAPTISTAM RECURTI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Avium in Germania inferiore nato in Urbe Episcopali Davenria Archiepiscopi Trajectensis Suffraganea. Barbofa *loc. cit. n. 145.* Tamburin. *loc. cit. n. 82.* Morigia in *Histor. Relig. cap. 59.* Marulus in *Oceano Religion. lib. 3. pag. 197.*

90 *Theatinorum Clericorum Congregatio* instituta est circa annum 1524. sub Regula S. Augustini a Joanne Petro Carassa Neapolitano Archiepiscopo Theatino, postea Summo Pontifice Paulo IV. Unde ejus Clerici dicti sunt Theatini: Is enim resignavit in manibus Summi Pontificis Episcopatu, una cum S. Cajetano Triennensi, D. Bonifacio Alexandrino, & D. Paulo Consiliario Romano, facta solemni Professione, Romæ primo suam Congregationem fundarunt, quam confirmavit Clemens VII. Constit. 11. incip. *Exponi*; Hanc Congregationem dictus Joannes Petrus Carassa univit cum Sommaschenfi, sed postea ad Summum Pontificatum assumptus, & Paulus IV. dictus, Theatinorum Congregationem a Sommaschenfi separavit, & pristinum solum Institutum servare coegit, ut in ejus Constit. incip. *Aliquot abhinc annis.* Barbofa *loc. cit. n. 153. & 160.* Tamburin. *loc. cit. n. 83.* Morigia in *Orig. Religion. lib. 1. cap. 76.* Marulus in *Oceano Religion. lib. 4. pag. 368.*

91 *Sancti Pauli Decollati, seu Barnabitarum Congregatio* sic dicta, quod Sanctum Paulum præcipue elegerit in Patronum, instituta est a tribus nobilibus Mediolanensibus, nempe Bartholomæo Ferrario, Jacobo Antonio Morigia, & Antonio Maria Beccharia anno 1526. Dicuntur hujus insignis Ordinis Religiosi vulgo *Barnabite* a Collegio S. Barnabæ Apostoli, quod primum Mediolani habuerunt, & Caput Ordinis statuerunt; Hunc insignem Ordinem approbavit, & confirmavit Clemens VII. Constit. 37. incip. *Vota.* Barbofa *loc. cit. n. 159.* Tamburin. *loc. cit. n. 84.* Morigia in *Origine Religion. lib. 1. cap. 66.* Marulus in *Oceano Relig. lib. 5. pag. 399.*

92 *Boni Jesu Clericorum Regularium Congregatio* in Civitate Ravennæ instituta fuit circa annum 1526. a quadam Virgine Margaritâ ejusdem Civitatis ministerio duorum Sacerdotum ejusdem Ur-

bis, Domini Leonis, & Domini Hieronymi, qui primi tunc Ordinem professi sunt sub Regula S. Augustini cum propriis Constitutionibus. Pennott. in *Histor. tripartit. Canonico. Regular. lib. 2. cap. 74.* Marulus in *Oceano Religion. lib. 5. pag. 398.* Tambar. *loc. cit. n. 85.* Barbofa *loc. cit. n. 157.*

*Clericorum Regularium Somasche, seu S. Majoli Congregatio* sic dicta a primo Monasterio constructo in Somascha Pago inter Mediolanum, & Bergomum, & a celebri Collegio S. Majoli in Civitate Papiæ, instituta fuit a P. Hieronymo Emiliano Patrio Veneto circa annum 1526. & confirmata fuit a Paulo III. Constit. incip. *Ex injuncto*; & S. Pius V. sub Regula S. Augustini reposuit, & nomen ipsi Congregationi imposuit, nempe Clericorum Regularium S. Majoli Papiæ, seu Somaschæ, ut in ejus Constit. incip. *Injunctum*; Huic Congregationi Joannes Petrus Carassa Episcopus Theatinus univit suam Congregationem Theatinorum, sed postea ad Summum Pontificatum assumptus, & Paulus IV. dictus, Theatinorum Congregationem a Somaschenfi separavit, & pristinum solum Institutum servare coegit, ut in ejus Constit. incip. *Aliquot abhinc annis.* Tamburin. *loc. cit. num. 86.* Barbofa *loc. cit. n. 160.* Morigia de *Origine Religion. lib. 1. cap. 68.* Marulus in *Oceano Religion. lib. 5. pag. 394.*

*Ministrantium infirmis Clericorum Regularium Congregatio* instituta est a Camillo de Lellis sacerdote Neapolitano ex Oppido Bucianico Diocesis Theatinæ oriundo, egregiæ Sanctitatis Viro circa annum 1586. & tunc sub Instituto simplicis Congregationis, eam approbavit Sixtus V. Constit. 25. incip. *Ex omnibus*; Et postea sub Instituto Religionis cum quatuor votis solemnibus, incluso scilicet quarto de perenni ministerio ægrotantibus exhibendo, etiam peste laborantibus, fuit confirmata a Gregorio XIV. Constit. 27. incip. *Illius*, & de hac Congregatione multa habentur in Constitutione 75. Clementis VIII. incip. *Superna.* Barbofa *loc. cit. n. 199.* Tamburin. *loc. cit. n. 87.* Marulus in *Oceano Religion. lib. 5. pag. 426.* Pennot. in *Historia tripartita lib.*